

Si quomodo occurrat ad resurrectionem, qua est ex mortuis. Ad illam quæ perfectior est proprie, non ad illam quam etiam invitos habere necesse est.

Non quod jam accepimus. Quia mundi nondum finis advenit: sed in spe est quod credimus, non in re.

Aut jam perfectus sum. Adhuc ait se de perfectione hac, & de tali resurrectione suspensum.

Sequitur autem si quomodo comprehendam, in quo & comprehensum sum à Christo Jesu. Si comprehendam meritum apostolatus, in quo apostolatus à Christo sum reprehensus.

Frater, ego me non arbitror comprehendisse. Se humiliando, omnibus gloriam tollit, & universos provocat ad perfectionem.

Unum autem, qua quidem retro sunt obliuiscens: ad ea verò que sunt priora extendens meipsum. Hoc solum scio, quia quotidie proficio, & præteritum laborem non computans, ad priora festino: siue legis obliuiscens, ad perfectam Evangelii præcepta me teno.

Ad destinatum persequor bravium supernæ vocationis Dei in Christo Jesu. Quod perfectus Deus promisit in Christo in cælis: quod non nisi vincentes accipient.

Quicumque ergo perfecti sumus, hoc sentiamus. Quomodo negat se esse perfectum, si alii sunt: nisi humilitatis gratia hoc dictum accipias? Quicumque perfectus est, hoc sentiat: vetera scilicet obliuiscendo, & nova sectando: quia perfecti debent esse discipuli Christi: licet superius de perfectione præmii: hic verò de scientia sit locutus.

Et si quid aliter sapiatis, & hoc vobis revelabit Deus. Si quid alii Deus revelavit. Aliter, inquit, non aliud, hoc est, alia assertione, non fide.

Verumtamen ad quod pervenimus. Ad perfectionem novi testamenti.

Ut idem sapiamus. Idem sit: aliter scilicet alter non astringat.

Et in eadem permaneamus regula. Non enim scite sufficit sine factis.

Imitatores mei estote fratres. Me sequimini, non falsos Apostolos.

Et observate eos qui ita ambulant, sicut habetis formam nostram. Dupliciter dicitur observare, vel ad imitandum, ut hic: vel ad cavendum, sicut ad Romanos ait: Observate eos qui dissensiones & offendicula faciunt.

Multi enim ambulant, quos sæpe dicebam vobis. De his dicit, qui spem passionis Christi, per quam peccata dimissa sunt auferentes in lege ceremonias collocabant. Postest & de Joviniani studiis accipi, qui jejuniorum afflictionem & omnem corporis cruciatum, in luxuriam & epulas converterit.

Nunc autem & stens dico, inimicos crucis Christi. Notandum quod verò affectu, omnium salutem optaverit, qui etiam inimicos crucis Christi desebat, ultrò in interitum properantes.

Quorum finis interitus. Quia in corruptione seminant carnis.

Quorum Deus venter est. Qui se in hoc putant Deo servire, si comedant, non audientes Prophetam dicentem: Si manducaveritis & biberitis, nonne vos manducatis & bibitis?

Et gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt. In circumcissione verecundi membri.

Nostra autem conversatio in cælis est. Hoc non potest dicere terrenis vitis mancipatus.

Unle etiam Salvatorem expectamus, Dominum nostrum Jesum Christum. Qui caput est nostrum.

Qui reformabis corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ. Sicut monstravit in monte, cum unum ex viventibus & unum ex mortuis, claritatis lux corpori configurat: exemplum resurrectionis ostendens, & in mortuis, & in viventibus.

Secundum operationem virtutis suæ: qua etiam possit subicere sibi omnia. Quia non solum conformavit nos, sed etiam corpori suo omnia fecit esse subiecta: siue secundum sententiam qua sibi cuncta subiecit, etiam hoc illi possibile est.

Caput IV.

ITAQUE fratres mei charissimi & desideratissimi. Quia perfectiores.

Gaudium meum, & corona mea. Per vos in præsentem lætificor, & in futuro coronabor.

Sic stete in Domino charissimi. In sola Christi fide, ut superius comprehendere, spem ponentes, & in conversatione cælesti.

Evodiam rogo, & Syntichen deprecor idipsum sapere in Domino. Quod dicit, id est, una mecum hæc mulieres scientes erant legis: qua similiter ut istas eadem sentire commemorat, & hortatur.

Etiam rogo & te Germane compar. Germanus dictus est nomine, qui erat compar officii.

Adjuva illas, que mecum laboraverunt in Evangelio. Non viros, sed feminas quæ erant adjuventes: non in Ecclesia, sed in domo.

Cum Clemente & cæteris adjutoribus meis. Clemens ex philosopho magnæ doctrinæ vir, qui Romæ Episcopus fuit.

Quorum nomina sunt in libro vita. Ne molestè ferrent sua nomina in hac Epistola comprehensa, scripta esse dicit in cælis. Hujus libri etiam Moyses & David meminit, & Dominus in Evangelio.

Gaudete in Domino semper. Quia sæculi gaudium non habetis.

Iterum dico gaudete. Repetit, ut magis ac magis gaudium confirmetur.

Moderata vestra nota sit omnibus hominibus. Judæis & gentibus omnibus: qui vos tribulant & persequuntur.

Dominus enim prope est. Scit quid opus sit antequam petatis ab eo: siue de congruentibus cogitationibus, sollicitudinem gerite: quam enim Dominus nobis prope sit, optimè novistis, secundum illud: Juxta est Dominus his qui tribulato sunt corde.

Nihil solliciti sitis. Nolite cogitare quid manducetis, aut quid induamini, hæc omnia gentes inquirunt.

Sed in omni oratione & obsecratione cum gratiarum actione, petitiones vestre innotescant apud Deum. Non cum murmuratione, aut tristitia: tunc potest oratio vestra digna esse auribus Salvatoris: si pro omnibus quæ patimini gratias referatis: sicut Apostoli faciebant.

Et pax Dei, que exuperat omnem sensum, custodiat corda vestra, & intelligentias vestras in Christo Jesu. Qua malos sustinet & ingratos. Christi pax qua pro suis persecutoribus exorabat: si recogitemus omnem mentem superat & inclinat. Hæc ergo pax corda & intelligentias vestras exemplo Christi custodiat.

De cætero fratres. Ad extremum, ut omnia breviter comprehendam.

Quaecumque sunt verba. Permanenda.

Quaecumque pudica, quaecumque iusta, quaecumque sancta, quaecumque amabilia, quaecumque bona fame. Quia omnis natura humana novit diligenter amare quod bonum est.

Si qua virtus, si qua laus discipline: hæc cogitate que & didicistis, & accipistis, & audistis, & vidistis in me. Virtus tolerantia, siue laus conversationis: & reliqua bona, quæ & didicistis verbo, & accepistis exemplo, & audistis auribus, & vidistis oculis: hæc tantummodo cogitate.

Hæc agite. Non enim sola sine actu sufficit cogitatio. Hæc posteriora, illa explanant superiora.

Et Deus pacis erit vobiscum. Si hæc non modo cogitetis, sed etiam faciatis.

Gavijus sum autem in Domino vehementer: quoniam tandem aliquando restoruisistis pro me sentire, sicut & sentiebatis. Occupati autem eratis. Iterum florem boni operis recepistis, qui mei immemores occupatione non voluntate arefacti fueratis effecti.

Non quasi propter penuriam dico. Non propter meam inopiam, sed propter vestrum fructum dico me esse gavijum.

Ego enim didici in quibus sum sufficiens esse. A Christo omnia æquanimiter ferre sum edoctus.

Scio & humiliari: scio & abundare. Ubique & in omnibus institutus sum: & satiari, & esurire, & abundare, & penuriam pati. Ut nec abundantia extollar, nec frangar inopia.

Omnia possum in eo qui me confortat. Dans intelligentiam, vel sua doctrina confirmat.

Verumtamen bene fecistis, communicantes tribulationi meæ. Non enim debuit mea inopia vestram impedire mercedem.

Scitis autem & vos Philippenses, quod in principio Evangelii, quando profectus sum à Macedonia, nulla mihi Ecclesia communicavit. Quando profectus sum, scitis: quia vos solos à quibus sumptus accepimus elegimus, fideliores vos omnibus judicantes.

In ratione dati & accepti, nisi vos soli. Dantes carnalia, spiritualia accepistis.

Quia & Thessalonicam semel, & bis in usum mihi misistis: non quia quero datum, sed requiro fructum abundantem in ratione vestra. Abundans fructus orationis est, cum sanctis etiam absentibus ministratur.

Habeo autem omnia, & abundo. Repletus sum exceptis ab Epaphrodito que misistis. Provocat eos laudando, & gratias referendo.

In odorem suavitatis. Odor suavitatis, non in re oblata, sed in mentis devotione consistit: sicut sacrificium Noë Deus describitur odoratus, cum ipse dicat, nec carnibus, nec animalium sanguine se delectari.

Hostiam acceptam, placentem Deo. Notandum quod elemosyna hostia appellatur: quæ sicut à sanctis oblata, accepta

est, ita eorum qui in peccatis duraverint reprobat.

Deus autem meus impleat omne desiderium vestrum, secundum divitias suas in gloria in Christo Jesu. Deo autem & patri nostra gloria in sæcula sæculorum: Amen. Quia ut perfecti alia desiderare non poterant, nisi quæ sunt secundum divitias Dei, non sæculi, & quæ ad gloriam pertinent Christi.

Salvate omnem sanctum in Christo Jesu. Salutant vos qui mecum sunt fratres. Erant enim omnes sancti quos salvare jubet, & omnes præcepit salutari: sicut & in omnibus Epistolis facit: & proculdubio verum dixisse credendus est: Si verè sancti erant, peccatores utique non erant: & quia non peccatores, sed sancti erant: tam poterant esse quod erant, quam poterant non esse quod non erant. Igitur sanctos homines hac ratione esse possibile est.

Salvate vos omnes sancti: maxime autem qui de Casaris domo sunt. Qui sunt nuper de Casaris domo conversi.

Gratia Domini nostri Jesu Christi cum spiritu vestro: Amen.

Explicit Commentarius in Epistolam ad Philippenses.

COMMENTARI I IN EPISTOLAM AD COLOSSENSIS

Caput I.

PAULUS Apostolus Jesu Christi, per voluntatem Dei, & Timotheus frater, his qui sunt Colossis sanctis & fidelibus fratribus in Christo Jesu: Gratia vobis, pax à Deo Patre nostro. Et Christo Jesu Domino nostro.

Gratias agimus Deo, & patri Domini nostri Jesu Christi semper pro vobis orantes, audientes fidem vestram in Christo Jesu, & dilectionem quam habetis in sanctis omnibus. Siue exceptione perforarum vel notitia, solam diligitis in omnibus sanctitatem.

Propter spem que reposita est vobis in cælis: quam audistis in verbo veritatis Evangelii quod pervenit ad vos. Non propter hominum laudem, sed propter vitam æternam, quæ in Christo est.

Sicut & in universo mundo est, & fructificat. Aliud tricesimum, aliud sexagesimum, aliud centesimum, secundum parabolas seminantis.

Et crevit. In numero vel virtute.

Sicut in vobis ex ea die qua audistis & cognovistis gratiam Dei in veritate. Qui ejus beneficia malis actibus non evacuant.

Sicut didicistis ab Epaphra charissimo conservo nostro, qui est fidelis pro vobis minister Christi Jesu. Fideliter pro vobis in oratione incumbens, ministerium Christi exhibet voluntate.

Qui etiam manifestavit nobis dilectionem vestram in spiritu. Quam habetis in spiritualibus charitatem.

Ideo & nos ex qua die audivimus, non cessamus pro vobis orantes & postulantes, ut impleamini agnitione voluntatis ejus in omni sapientia & intellectu spirituali. Quia eam aliter facere non potestis: quod Propheta intelligens dicebat ad Deum: Docet me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu.

Ut ambuletis dignè Deo per omnia placentes, in omni opere bono fructificantes: & crescentes in scientia Dei. Bene ille Deo ambulat, qui ei per omnia placet: hoc est, ut in opere bono cum scientia Dei fructificet. Simul exposuit quod frequenter obscure dicebat: hoc est, quomodo Deus det velle, vel adjuvet, & confirmet: docendo scilicet sapientiam, & intellectum gratiarum tribuendo, non libertatem arbitrii auferendo, sicut etiam in præsentem orat, ut impleantur agnitione voluntatis ejus, in omni sapientia & intellectu spirituali: quò possint dignè Deo per omnia ambulare.

In omni virtute confortati. Virtus magna est inveteratum vincere vitiorum: vel in passionibus carnis infirmitatem superare.

Secundum potentiam claritatis ejus. Ut & vos sicut & ille patienter omnia sufferatis.

In omni patientia & longanimitate cum gaudio. Ibi est vera longanimitas & patientia, ubi aliquis gaudet etiam sustinere quod patitur.

Gratias agentes Deo & patri, qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine. Plus vocatio lætificet, quam affligat tristitia passionum. Cognominat sortem sanctorum, sortem hæreditatis, sicut etiam scriptura commemorat: quia Jesus terram dividit in sorte.

Qui eripuit nos de potestate tenebrarum. Ab ignorantia vel errore.

Et transfudit in regnum filii dilectionis suæ. De regno erroris & mortis, quo & dilecti & filii fieremus.

In quo habemus redemptionem & remissionem peccatorum. Redemptis fide, per baptismum peccata dimittit.

Qui est imago Dei invisibilis. Secundum Epistolam ad Hebræos.

Primogenitus omnis creatura. Primogenitus secundum assumpti hominis formam, non tempore, sed honore: juxta illud: Filius meus primogenitus Israel.

Quoniam in ipso condita sunt universa in cælis & in terra, visibilia & invisibilia: siue throni, siue dominationes, siue principatus, siue potestates. Id contra Manichæos facit.

Omnia per ipsum & in ipso creata sunt. In ipsius creata sunt potestate.

Et ipse est ante omnes, & omnia in ipso constant. Dum per ipsum subsistunt.

Et ipse est caput corporis Ecclesia. Quia omnes credentes: ejus membra sunt.

Qui est principium primogenitus ex mortuis. Incorruptibilis gloria.

Ut sit in omnibus ipse primum tenens. Tam in visibilibus, quam in invisibilibus creaturis.

Quia in ipso complacuit omnem plenitudinem divinitatis inhabitare. In aliis, hoc est, in Apostolis, Patriarchis, vel Prophetis, gratia fuit ex parte. In Christo autem tota divinitas habitavit corporaliter, quasi si dicas summaliter.

Et per eum reconciliari omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis ejus. Per quem sunt homines emundati. Siue que in cælis, siue que in terris sunt. Terrena cælesti-

bus quæ ab eis per contritatem vitæ fuerant separata. Unde orare docemur, ut voluntas Dei quemadmodum celebratur in cælis, ita fiat & in terris.

Et vos cum essetis aliquando alienati, & inimici sensu operibus malis: nunc autem reconciliavit in corpore carnis ejus per mortem. Quæ fuerint inimicitia, evidentissimè declaravit.

Exhibere vos sanctos. Ne ejus beneficium irritum facientes, sitis iterum inimici.

Et immaculatos, & irreprehensibiles coram ipso. Vide si sciebat se impossibilia præcepisse.

Si tamen permanetis in fide fundati, & stabiles, & immobiles. Tunc poteritis immaculati esse, si hominum vos exempla minimè decipiant, sed firmiter futura credatis.

A spe Evangelii quod audistis. Spem Evangelii, contra Evangelium viventes sperare non possunt.

Quod prædicatum est in universa creatura quæ sub cælo est. Rationabili scilicet. Notandum sanè quomodo omnem creaturam, homines solos nominavit.

Cujus factus sum ego Paulus minister, qui nunc gaudeo in passionibus pro vobis. Pro aliis patitur: quia pro ipso antè passus est Christus.

Et adimpleo ea quæ desunt passionum Christi in carne mea pro corpore ejus, quod est Ecclesia. Cujus factus sum ego minister. Usque adeo præsentibus non terreo persecutionibus, ut mihi parvum esse videatur quod patior, quoad usque in me passio impleatur, sicut ad Hebræos dicit: Ut non fatigemini animis vestris deficientes: nondum enim usque ad sanguinem restitistis.

Secundum dispensationem Dei, quæ data est mihi in vobis: ut impleam verbum Dei, mysterium quod absconditum fuit à sæculis & generationibus. Doctrina Evangelicæ, quam vobis gentibus jussus sum erogare.

Nunc autem manifestatum est sanctis ejus, quibus voluit Deus. Tempore quo voluit gentes vocare, quibus voluit sanctis aperiri sacramentum.

Notas facere divitiarum gloria sacramenti hujus in gentibus. Quia idem Dominus omnium, dives in omnes qui invocant illum.

Quod est Christus in vobis spes gloriæ, quem nos annunciamus, corripientes omnem hominem, & docentes in omni sapientia. Judæum & Græcum, servum & liberum. Simul attende, quod omnes sapientiam doceat.

Ut exhibeamus omnem hominem perfectum in Christo Jesu: in quo & laboro, certo secundum operationem ejus quam operatur in me in virtute. Notandum quod omnes conetur exhibere perfectos.

Caput I I.

VOLO enim vos scire qualem sollicitudinem habeam pro vobis & pro his qui sunt Laodiceæ: & quicumque non viderunt faciem meam in carne: ut consolentur corda ipsorum, instructi in charitate, & in omnes divitiarum plenitudinis intellectus in agnitione mysterii Dei Patris & Christi Jesu. Qui si me vidissent, & charitatem meam erga se, & divitiarum mysterii plenius cognovissent: majorem præstitissent affectum, & abundantiam rationis à me quam ab ipso Christo didici docerentur: & per hæc consolationem fuissent consecuti.

In quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ. Qui latebant in literis legis, sicut Isaias ait: In thesauris salus nostra venit.

Abconditi. Qui Moysi erant velamine contecti. Hoc autem dico, ut nemo vos decipiat in sublimitate sermonum. Idcirco melius fuisset, ut ego præsens instruerem: sed tamen breviter omnem sapientiam in ipso esse complexam: ut sensum vel sermonem philosophiæ quæ contra illum est, non solum non timeatis, sed etiam stultitiam deputetis.

Nam & si corpore absens sum, sed spiritu vobiscum sum: gaudens & videns ordinem vestrum, & firmamentum ejus, quæ in Christo est fidei vestra. Habebant hæc gratiam Apostoli, ut alibi positi, quid alibi ageretur, agnoscerent, sicut Elizei spiritus cum Giezi fuit in via. Supplens id quod est de utilitate vestre fidei: vel impleo quod præsentia implere non possum.

Sicut ergo accepistis Jesum Christum Dominum nostrum, in ipso ambulare. Exemplum Christi in vobis sufficit ad vitam, etiam si aliquid interim minus scientiæ habetis.

Radicati & superedificati in ipso. Secundum robur fundamenti, validum supercrevit ædificium.

Et confirmati in fide: sicut & didicistis, abundantes in illo in gratiarum actione. Semper crescentes in illo: & pro omnibus beneficiis ejus gratias referentes.

Videte ne quis vos decipiat per philosophiam & inanem fallaciam secundum traditionem hominum: secundum elementa mundi, & non secundum Christum. Contra philosophos ait, quorum omnis penè disputatio de elementis est, & de visibilibus creaturis, & ex rebus naturalibus virtutem existimant Dei: dicentes, ex nihilo fieri nihil posse: & animam, aut initium non habere, aut esse mortalem: & virginem parere omnino non posse: sed & Deum ex homine nasci, mori, atque resurgere stultum esse.

Quia in ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter. Omnis plenitudo divinx naturæ in corpore ejus inhabitat.

Et estis in illo repleti, qui est caput omnis principatus & potestatis. Si illius scientia docemini, qui prodidit initium invisibili creaturæ: quid vobis conferent qui nihil plus intelligunt, quàm quod vident?

In quo & circumcisi estis circumcissione non mansuata in expoliatione corporis carnis. Hic jam pseudoapostolos taxat, ne ab ipsis quidam educantur.

Sed in circumcissione Jesu Christi, conscripti ei in baptismo. Per quam totum hominem expoliastis.

In quo & resurrexistis per fidem operationis Dei, qui suscitavit illum à mortuis. Surrexistis in novam vitam, credentes eum etiam propter hoc surrexisse.

Et vos cum mortui essetis in delictis, & præputio carnis vestra. Quia non solum peccantes, sed etiam non circumcisi in lege pariter damnabuntur. Cum ergo dupliciter indigni essetis, filiorum confortes effecti estis.

Conversificavit cum illo, donans vobis omnia delicta. Auferendo causas mortis: id est, peccata.

Delens quod adversus nos erat chiographum decreti, quod erat contrarium nobis. Et ipsum tulit à medio, affigens illud cruci. Chiographum, maledictum legis est. Unde alibi ait: Christus nos redemit de maledicto legis, quia in eo continetur: Maledictus omnis qui non permanferit in libro legis, ut faciat ea. Quidam verò chiographum dicunt esse, quasi scriptam quandam apud Deum memoriam peccatorum. Unde ipse in Canticis dicit: Nonne hæc congregata sunt apud me, & signata in thesauris meis? Et Jeremias ait: Peccatum Judæ in ungue adamantino. Etiam hæc deleta est in cruce, dum dimissis peccatis, etiam memoria oblita est delictorum.

Et expoliatis principatus & potestates. Ut per mortem destrueret eum qui habebat mortis imperium, se offerendo pro eis.

Traduxit confidenter palam, triumphans illos in seipso. Devicit palam crucifixus, confusione contempta triumphavit: non occidendo, sed moriendo: ut nobis contrafacta omni superbia monstraret exemplum.

Nemo ergo vos judicet in cibo, aut in potu, aut in parte diei festi, aut neomenia, aut sabbatorum. Nullum ergo in hoc iudicium est quod est umbra, & cessavit corpore veniente: quia imagine opus non est, veritate præsentem.

Quæ sunt umbra futurorum, corpus autem Christi. Tunc enim futura erant, quæ modo sunt.

Nemo vos seducat, volens in humilitate & religione angelorum, quæ non vidit ambulans frustra, in status sensu sua carnis. Nemo ficta humilitate superbus: & angelos se videre mentiens, frustra se super homines jactet, qui visiones à suo corde loquitur: sive nemo tam humilis sibi & religioso videatur: ut angelos, qui Deum vident, se videre mentiat.

Et non tenens caput. Christo non credens qui omnium sanctorum caput est.

Ex quo totum corpus per nexus & conjunctiones subministratum & constructum crescit. Quia membris per totum corpus membra junguntur. Quicumque igitur extra hoc corpus est, quantumlibet se jactet, ille caput non habet, quod est Christus qui est vita.

In augmentum Dei. Augmentum illius corporis quod unum est Deo.

Si ergo mortui estis cum Christo ab elementis hujus mundi. Possunt intelligi etiam avaritia, luxuria: & cætera his similia.

Quid

Quid adhuc tanquam viventes mundo decernitis? Ne similitudinem quidem ullam viventium in mundo voluit nos habere: hoc est, illorum qui futura non credunt.

Ne reigeritis, neque gustaveritis, neque contraxeritis. Illo tactu, & gustu, & contræctione, quo hi qui in concupiscentiis abutuntur, & terrena diligunt pro æternis.

Quæ sunt omnia in interiori ipso usu. Ex partibus mundi, conditionem ipsius advertimus: cui enim membra componuntur atque solvuntur, necesse est ut totus aliquando compositus fuerit, & quandoque solvatur: non ergo mortalia pro immortalibus debent diligi & æternis.

Secundum præcepta & doctrinas hominum: quæ sunt rationem quidem habentia sapientia, in superstitione & humilitate: & non ad parcendum corpori, non in honore aliquo ad futuritatem carnis. Secundum quod multi etiam homines, natura docente tradiderunt: quod mundus esset aliquando solvendus: & ideo Deum, quem solum æternum intellexerunt, licet superstitio, tamen humiliter venerati sunt: & non parcendum duxerunt corpori: nec carnem in futuritate honorandam, ut pote morituram. Aliter: Non vos seducat philosophia ad humanam doctrinam quæ sapientiæ & abstinentiæ specie subornatur. In qua tam vana est corporis afflictio, tam stulta meditationis intentio: cujus bonum ad capiendos & infirmas mentes: quasi quidam laqueus diabolo aucupante, prætextitur: quo facilius malum suum sequens inducat.

Caput I I I.

IGITUR si resurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt querite: ubi Christus est in dextera Dei sedens. Consequenter primò commortuus, deinde consurrexistis nos dicit: nec solum terræ mori, sed etiam cælo nos vivere hortatur: nihil, inquit, terrenum ambiatis, nihil mortale queratis.

Quæ sursum sunt sapire, non quæ super terram. Mortui enim estis. Cælestem scētaminis sapientiam: sed nos laboriosius humane sapientiæ studium impendimus, & artibus vilissimis ingenium occupamus.

Et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Cum autem Christus apparuerit vita vestra, tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria. Quia filii Dei cum simus, nondum apparuit. Scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus. Non ergo debemus hic nostram querere gloriam, in præfenti: ne de nobis quoque dicatur: Perceperunt mercedem suam.

Mortificate ergo. Quod professi estis, implete. Membra vestra quæ sunt super terram. Membra vitiarum vestrorum: sive malum membrorum, nominat vestra membra.

Fornicationem, immunditiam, libidinem. Omnem impudicitiam, & immunditiam, & libidinem nominavit. Concupiscentiam malam. Est enim concupiscentia bona. Unde Daniel vel concupiscentiarum appellatur. Et David inquit: Concupiscit & deficit anima mea in atria Domini.

Et avaritiam: quæ est simulachrorum servitus. Nihil prodest Deo nomine, & idolis operibus servire. Propter quæ venit ira Dei super filios incredulitatis. Super Sodomam & eos qui in diluvio perierunt. Ex præteritis ergo exemplis, futura timenda sunt.

In quibus & vos ambulastis aliquando, cum viveretis in illis. Nunc autem deponite & vos omnia. Nolite itaque nunc ambulare, ne frustra videamini credidisse.

Iraem, indignationem, malitiam, blasphemiam. Ipsa est quæ inebriat mentem, per malitiam inferre alteri quod patitur nolis.

Turpem sermonem de ore vestro. Quia hic in disciplinis filii hominum non convenit, educatis: quanto magis Dei, quibus non minus est turpis sermo, quam actus.

Nolite mentiri invicem. Non decet mentiri invicem filios veritatis, cum de veritate non sit omne mendacium.

Expolietes vos veterem hominem cum actibus suis. Cum actibus voluptatum.

Et induentes novum, eum qui renovatur in agnitione Dei. Cum cognoverit cuius imago est: & in quantum debet & potest, nititur simulare.

Secundum imaginem ejus qui creavit eum. Expoluit imaginem in actu consistere.

Tom. V.

Ubi non est masculus & femina, gentilis & Judæus, circumcisio & præputium, barbarus & Scythæ, servus & liber. Apud Deum non præjudicat sexus, vel genus, vel conditio, sed conversatio sola.

Sed omnia & in omnibus Christus. Omnes quicumque baptizati sumus, Christum induimus.

Induite vos ergo sicut electi Dei, sancti & dilecti. Illa dependentes, induite: quia ad hoc facti estis.

Viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam. Quia illa membra dixerat, hæc viscera nominavit.

Supportantes invicem. Exemplo Christi, qui infirmitates nostras portavit.

Et donantes vobismetipsis. Indulgentes invicem, sicut Christus omnibus indulsit: etiam pro persecutoribus orans, ut & nobis à patre cælesti debita remittantur: ne impleatur in vobis illa sententia: Homo homini reservat iram, & à Domino querit medelam &c.

Si quis adversus aliquem habet querelam. Unusquisque malitiæ proximi sui non meminerit: ne fortè exigentes à confervis, etiam propria indulta reddere cogamur.

Sicut & Dominus donavit vobis, ita & vos. Si ille indulsit qui potuit: vindicta, aut nulla, aut satis parva est.

Super omnia autem hæc charitatem habete. Super hæc omnia est charitas: quia omnem quem diligimus, sustinemus: & non omnem quem sufferimus, diligimus.

Quod est vinculum perfectionis. Charitas enim multa membra in unum colligit corpus.

Et pax Christi. Non sæculi, quam nobis reliquit: qui pro omnibus mortuus est, & nos inimicos dilexit.

Exultet in cordibus vestris, in qua & vocati estis in uno corpore. Non in facie fallaciter aridente, vel sermone doloso.

Et grati estote. Beneficiis scilicet Christi. In nonnullis exemplaribus habet, gratia estote: hoc est, nolite legi assimilari, quæ vicem reddit, sed gratiæ: quæ ignoscit etiam inimicis, & pro eis Dominum deprecatur.

Verbum Christi habiet in vobis abundanter. Hic ostenditur verbum Christi non sufficienter, sed abundanter etiam laicos habere debere: & docere se invicem, vel monere.

In omni sapientia docentes & commoneantes vobismetipsos. Ut sapienter & rationabiliter proferatur.

In psalmis, & hymnis, & canticis spiritualibus in gratia. Psalmis, ut David: hymnis, ut trium puerorum: canticis, ut Moysi, & cæterorum, quæ sunt spiritualia: & non carnalibus, vel turpibus cantilenis.

Cantantes in cordibus vestris Domino. Nusquam legitimus aliquem sine voce cantasse. Unde necesse est hic, in corde, ex corde intelligi: scilicet, ut non solum ore, sed etiam corde cantemus: Confitebor, inquit, tibi Domine in toto corde meo.

Omne quodcumque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini nostri Jesu Christi: gratias agentes Deo & patri per ipsum. Sive docetis, sive operamini, nihil ad vestram, sed omnia ad Domini gloriam faciatis: Deo gratias referentes, qui filium suum ad hæc docenda destinare dignatus est: sive, per actus vestros Deo gratiæ referantur.

Mulieres subdite estote viris vestris, sicut oportet, in Domino. Secundum legem, in his quæ conveniunt Domino.

Viri diligite uxores vestras, & nolite amari esse ad illas. Filii obedite parentibus per omnia: hoc enim placitum est in Domino. Nunquam rem naturalem hortaretur, nisi continentes esse cœpissent, sicut ad Ephesos plenius notatum est.

Patres nolite ad indignationem provocare filios vestros: ut non pusillo animo fiant. Ne exasperati iracundi fiant, qui exemplo vestro, patientiam discere debuissent.

Servi obedite per omnia dominis carnalibus. Qui carnis solam dominationem exercent.

Non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes. Non ad hoc tantum, ut hominibus videamini carnalibus laborantes.

Sed in simplicitate cordis timentes Dominum. Qui ubique semper videt, & custodit omne quod factum est.

Quodcumque facitis, ex animo operamini sicut Domino, & non hominibus. Non necessitate conditionis, sed religionis facite voluntate: ut per opera vestra Domino gratiæ referantur, cum ex tempore credulitatis talia viderint proficisci.

Y y y